Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-197705-p0001-9

S. a.

E libris
gymnasio Mauritiano Magdeburgensi
a venerabili
Carolo Funk
theol. doctore et gymnasii directore
a. 1857 hereditate relictis.

G. f. 171.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-197705-p0002-5

FESTIVITAS

NATALIS

ILLVSTRIS

ATQVE EXCELLENTISSIMI DOMINI

DOMINI

CHRISTIANI WILDVOGELII

ICTI INCOMPARABILIS,

SERENISSIMO DVCI SAXO-ISENACENSI

A CONSILIIS STATVS INTIMIS,

ANTECESSORIS IN IENENSI ACADEMIA SPLENDIDISSIMI,

CVRIÆ PROVINCIALIS, FACVLTATIS IVRIDICÆ

ET SCABINATVS ADSESSORIS LONGE GRAVISSIMI

NEC NON

PANDECTARVM, CODICIS AC NOVELLARVM

IN

ALMO AD SALAM ATHENÆO PROFESSORIS PVBLICI

CELEBRATISSIMI

AD DIEM XIII. AVGVSTI MDCCVI.

AVSPICATO ADMODVM SIDERE

REDVCTA

EAQVE, QVA DECET, ANIMI PIETATE

CONCELEBRATA

A

M. CHRISTOPHORO VVEISSENBORNIO

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM COLLEGII

ADIVNCTO.

IENÆ

CHARACTERE MVLLERIANO.

68

ILLVSTRIS PINDI SPLENDOR THEMIDOSQVE SACERDOS NEC NON SAXONICI GLORIA MAGNA DVCIS.

Cunctis anne TVVM nomen innotuit oris,
Cuius fama domum ſolis vtramque replet?
Quin TVA laus dudum flammantia ſidera tangit
Et vincit laudes transgrediturque meas.
Nam mea magniloquis non ludit muſa cothurnis
Nec venit aurigeris condecorata comis.
Ignoſces igitur pangenti carmina ſeruo,
Dum TIBI NATALIS, ſorte fauente, redit.
Sol luſtrat radiis colles vallesque benignis:
Nec TE ſubmiſſum ſpernere, credo, melos.
Sæpius adſpexit facies TVA fronte ſerena,
Quæ cecinit fatis carmina læta TVIS.
Aſt quid ego referam, quo debita munera ſoluam
Ac WILDVOGELII pingere facta queam?
Non omnes animi virtutes, inſtar APELLIS,
Indoctis potero ſiſtere rite metris.
Præcipuas igitur tantum volo tangere dotes,
Laudando celebris more TIMANTIS agens.
Hic, monſtraturus monſtroſum mole gigantem,
Solo ſiſtebat pollice pictor eum.
Credidit ex ipſo quemuis cognoſcere poſſe:
Eius totius quanta figura ſiet?
Nec trahit vlla mihi dubiam ſententia mentem,
Virtutes aliquas pingier, eſſe ſatis.
Ergo duplex tantum mentis laudabo χάρισμα,
Quod præ ſexcentis arbitror eſſe bonum.
Prodeat hinc PIETAS virtutum gloria prima,
In TE quæ primum geſſit habere locum.
En! laudem, laudes ſuperantem laudibus omnes:
Doctior an quisquam, quam pius, eſſe valet? (A)
Num *pietas* diuâ clareſcit origine ſplendens, (B)
Conciliatque DEVM (C) Chriſticolisque placet? (D)
Num *pietas* radix felicis viuida vitæ (E)
Virtutumque ferax creditur eſſe parens? (F)
Num *pietas* fons eſt pleniſſimus ille bonorum,
Nos quibus in terris vult cumulare DEVS? (G)
Num *pietas* homini vitam ſpondere futuram
Præſentesque poteſt exhilarare dies? (H)

(A) Auguſtinus ſapientiam veram in vero veri Dei cultu ſitam eſſe, pie cenſuit cum Dauide Pſ. CXI. v. 10. id quod teſtatur Spizel. in Vet. Academ. J. C. p. 165. Cui ſuffragatur Lipſius, in limine æternitatis iam iam conſtitutus ſuæque fragilitatis probè conſcius, quando in verſiculis Teſtamento ſubiunctis lamentabili admodum voce canit:

Ah! miſer eſt ſapiens, qui ſapit absque Deo.

(B) Iac. I. v. 17. (C) Prov. IIX. v. 17. (D) Syr. XIV. v. 9, (E) Syr. I. v. 19. 20. 21. (F) Syr. II. v. 18-22. (G) Pſal. XXXVII. v. 4. CXLV. v. 19. Syr. I. v. 19-21. (H) I. Tim. IV. v. 8.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-197705-p0004-6

Sunt equidem plures; quos fallit opinio fallax:
 Saltem Theiologos eſſe decere probos.
Ac ſi non docti vellent ſaluarier omnes,
 Aut poſſent aliter quærere regna DEI (I)
TV vero *Themidem* connecti glutine firmo,
 MÆCENAS, vera cum probitate putas.
Quin SEKKENDORFFI calcas veſtigia *magni*,
 Atque probi FRITSHI CARPZOVIIQVE *pii*. (K)
Ex hoc tot refluunt virtutum fonte ſcatebræ,
 Quot nulli cunctas enumerare datur. (L)
Magnanimus ſpernis miſeri dicteria vulgi
 Quicquid & inſani turba maligna vomit.
Quam *patiens* ſequeris cari veſtigia CHRISTI
 Conſtantique ſoles pectore ferre crucem.
Surgant ſub duro victrices pondere palmæ: (M)
 Mens TVA perdurans eius imago cluit.
Negligat & ſaxum furioſas æquoris undas: (N)
 Nec turbat mentem ſors inimica TVAM.
Sæpius in dubiis tentauit IOVA procellis,
 Quam non vlla valent frangere fata, *fidem*.
TE pia vita vocat *iuſtum*, qui, lædere nullum
 Atque cuique ſuum reddere, totus amas.
Omnibus es *ſuauis* quemcunque iuuando Patronus,
 Et nullis hominum diceris eſſe *grauis*.

(I) Digna notatu ſunt verba huncque in locum omnino transferenda, quibus utitur Piiſſimus quondam & beatæ iam memoriæ Theologus Dn. D. IOH. WEISSENBORNIVS in tractatu, quem inſigniuit: VNVM IN SHOLIS ET ACADEMIIS NECESSARIVM, ubi pag. 44. ita loquitur: *Quaſi pietas pugnaret cum Iurisprudentia aut Medicina, nec eius vtriusque potius & ornamentum ſit & adiumentum inaeſtimabile.* Et paullo poſt: *Siccine non ad omnes Chriſtianos amplius pertinebunt Seruatoris verba:* contendite (ἀγωνίζεσθε, ringet darnach) intrare per anguſtam portam, quia multi, dico vobis, quærunt intrare & non poterunt. Luc. XIII. v. 24.

(K) De ſingulari laudatæ tantorum Politicorum & ICtorum trigæ pietate, non ſuis ſolum ſed aliorum quoque clariſſimorum pariter virorum elogiis commendata atque omnibus ad imitationem propoſita, teſtatur idem eodem in tractatu p. 37-46.

(L) Iac. I. v. 17.

(M) *Inuiolabilis Chriſtianorum fidei* optumum ſane ſymbolum eſt Palma, ingenti onerata pondere, nec tamen ſuppreſſa ſemperque ſurgens, cum epigraphe: PREMENDO NON OPPRIMENDO. Quæ ſequenti forte Epigrammate haut inepte poſſet explanari:

Perduro premitur conſtans ſub pondere Palma;
 Nec tamen opprimitur ſurgit & usque magis:
Sic quoque Chriſticolæ, fatorum pondere preſſi,
 Surgunt, immotam continuando fidem.

vel germanicè:

Wenn gleich die Centner-Laſt des Palm-Baums Aeſte drückt;
 Doch ſteigt er Wolcken-wärts und bleibet unzerknickt:
So ſteigt der Glaube auch zum Himmel von der Erden/
Wenn Chriſten auf der Welt vom Creutz gedrücket werden.

(N) *Conſtantiæ Chriſtianorum* Symbolum eſt Saxum, in medio maris gremio ſitum atque immanſuetis allidentium procellarum furoribus fortiter reſiſtens, cum inſcriptione: MOLIMINE CASSO. Quam tali explicare liceat Epigrammate:

Vsque manet conſtans nec non immobile Saxum,
 Nec curat fluctus ſævitiemque maris:
Sic etiam durans & ſpes immota piorum
 Rebus in adverſis non ſinit eſſe vagos.

Quod Muſa Teutonica ſequentem in modum effert:

Verlacht ein harter Felß des Meers erzürnte Wellen;
Ob ſich dieſelben gleich auch noch ſo grimmig ſtellen:
 So ſtehet auch ein Chriſt in ſeiner Hoffnung feſt/
 Die er in keinem Sturm des Creutzes ſincken läſt.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-197705-p0005-2

Nunc ſequitur centum DOCTRINA ſubacta periclis,
Quam celebrat cunctis garrula fama locis.
Mente ſtatim prompta perdoctè cuncta recludis,
Quando datur dubius difficilisque caſus.
Hinc DEUS officiis TE tot præfecit in urbe,
Quæ florere *Viris* noſtra Salana videt.
Attamen in tantas nolo percurrere laudes,
Quas tenerâ poſſet muſa referre chely.
Mens TVA docta, ſuâ fama ſuper æthera nota,
Indiget haut quaquam laude, PATRONE, mea.
TE cathedræ doctæ, Proceres miſerique loquuntur
Laudandâ laudes laude vehendo TVAS.
Quin TVA plena bonis vulgata volumina rebus
Publica doctrinæ ſunt monumenta TVÆ.
ARABIÆ ſtupeat SALOMONEM REGIA MATER,
Qui mirè ſapiens Rex aliquando fuit. (O)
Diſſita gens noſtrum miratur *Iure peritum*
Et paucos IPSI laudat in orbe pares.
Conuolat ex vario pubes ſtudioſa penate
Et VVILDVOGELII ſcita profunda petit.
Immo DVCES SVMMI ſummo dignantur honore
Ac TVA conquirunt docta reſponſa SIBI.
Quare JENA, ſuâ fortunâ jure triumphans,
TANTVM PARNASSI gaudet habere DECVS.
Inprimis autem præſenti tempore ſaltat
Muſarumque cohors gaudia magna capit.
Vtpote quo Phœbus NATALIA FESTA reuoluit,
Quæ VVILDVOGELIO IOVA ſacrare iubet.
Plaudunt ipſa *Poli* colorata palatia læti
Delius & radiis blandior ille ſuis.
Dulciſonis volucres concentibus aëra mulcent
Huncque diem feſtum concelebrare volunt.
Cur mea deberet iam ſolum muſa tacere,
Quas mea lætitias intima corda fovent?
Quâ me quamlongo decoraſti tempore ſervum,
MAXIME MÆCENAS, *gratia* magna fuit.
Vel mihi centenis reſonent ſi vocibus ora,
Ipſam non unquam ſat celebrare queam.
Nec minus ergo meæ colludunt carmina muſæ
Ac WILDVOGELII feſta reducta canunt:
Faxit cunctipotens cœli terræque creator,
Hunc TIBI NATALEM ſæpe redire DIEM!
Viuas felices longæui Neſtoris annos,
Corporis & mentis perpete flore vigens!
Sit TIBI perpetuo SVMMI benedicto præſens
Nec male conſiliis dicat IOVA TVIS!
Sic nihil eſt reliquum, *pia* quam *concluſio voti:*
AVLIS atque TVIS VIVE ſimulque SHOLIS!

(O) I. Reg. X.

78 M 428

Sign. (188) fehlt bzw.
evtl. nicht vergeben!

ULB Halle 3
002 108 178

Sb.

VD17

R.140

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-197705-p0007-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-197705-p0008-9

68

FESTIVITAS

NATALIS

ILLVSTRIS

ATQVE EXCELLENTISSIMI DOMINI

DOMINI

CHRISTIANI WILDVOGELII

ICTI INCOMPARABILIS,
SERENISSIMO DVCI SAXO-ISENACENSI
A CONSILIIS STATVS INTIMIS,
ANTECESSORIS IN IENENSI ACADEMIA SPLENDIDISSIMI,
CVRIÆ PROVINCIALIS, FACVLTATIS IVRIDICÆ
ET SCABINATVS ADSESSORIS LONGE GRAVISSIMI
NEC NON
PANDECTARVM, CODICIS AC NOVELLARVM
IN
ALMO AD SALAM ATHENÆO PROFESSORIS PVBLICI
CELEBRATISSIMI
AD DIEM XIII. AVGVSTI MDCCVI.
AVSPICATO ADMODVM SIDERE
REDVCTA
EAQVE, QVA DECET, ANIMI PIETATE
CONCELEBRATA
A

M. CHRISTOPHORO VVEISSENBORNIO

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM COLLEGII
ADIVNCTO.

IENÆ
CHARACTERE MVLLERIANO.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Farbkarte #13 B.I.G.
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-197705-p0009-8